

Ad quintum dicendum, quod in peccante sunt duo defectus: unus qui est in ipso actu peccati, secundum quod aliquis limites legis divinae, & rationis recte transgreditur: alius est in ipso peccante, id est privatio virtutis ex priori defectu actus inducta. Quamvis autem cum aliquis gratiam recuperat, secundus defectus tollatur, non tamen ex toto primus sublatus est: quia oportet ut quantum voluntati suae obediit prae legem Dei, tantum etiam in contrarium recompenset, ut sic iustitiae servetur aequalitas: & ideo post gratiam recuperatam inungitur satisfactio, & est adhuc homo reus temporalis poenae.

ARTICULUS III.

Utrum peccatum convenienter dividatur in mortale, & veniale.

1. 2. q. LXXXVIII. a. 1. & supra dist. XXI. q. 11. a. 3. & III. cont. Gen. cap. XLIII.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod peccatum inconvenienter per mortale, & veniale dividatur. Ea enim quae in infinitum differunt, in uno genere non conveniunt, sicut creator, & creatura, ens, & non ens. Sed veniale, & mortale sunt huiusmodi; cum uni debeatur poena temporalis, alteri aeterna, ut patet in littera. Ergo peccatum per haec duo dividi non debet.

2. Praeterea. Determinatio diminuens de ratione ejus cui additur, infert oppositum ejus: bene enim sequitur: Est homo mortuus: ergo non est homo. Sed veniale est determinatio diminuens de ratione peccati: ex hoc enim quod peccatum est, est dignum poenae, & non venia. Ergo veniale peccatum non debet dividere peccatum contra mortale, sicut nec animal mortuum dividit animal contra animal vivum.

3. Praeterea. Divisio omnis debet fieri per opposita. Sed veniale, & mortale non sunt opposita, cum se simul compatiuntur. Ergo inconvenienter peccatum per mortale, & veniale dividitur.

4. Praeterea. Culpa opponitur gratiae. Sed veniale non opponitur gratiae, quia stat simul cum ea. Ergo veniale non est peccatum; & sic non debet dividere genus peccati contra mortale.

5. Praeterea. In omni peccato est aversio ab incommutabili bono tamquam formale. Sed veniale non habet aversionem a bono incommutabili: quia peccans venialiter non avertitur a fine ultimo, sed via inordinate inhæret. Ergo veniale peccatum non proprie est peccatum; & sic idem quod prius.

Sed contra. I. Joann. 1. 8. Si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Constat autem quod non loquitur de mortali peccato, quia sine illo sunt Sancti. Ergo oportet ponere peccatum veniale.

Praeterea. Dispositio, & habitus ad eandem speciem qualitatis pertinent: unde invenitur scientia, dispositio, & habitus. Ergo oportet a simili quod in peccato inveniantur aliquid quod se habet per modum dispositionis, & aliquid quod habet perfectam rationem peccati. Dispositio autem ad peccatum mortale, est peccatum veniale. Ergo mortale peccatum oportet supponere veniale.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod est duplex modus dividendi commune in ea quae sub ipso sunt, sicut est

(1) Al. perfectionem. (2) Al. veniale.

duplex communitatis modus. Est enim quaedam divisio univoci in species per differentias quibus aequaliter natura generis in speciebus participatur, sicut animal dividitur in hominem, & equum, & huiusmodi; alia vero divisio est ejus quod est commune per analogiam, quod quidem secundum perfectam rationem praedicatur de uno dividendum, & de altero imperfecte, & secundum quid; sicut ens dividitur in substantiam, & accidens, & in ens actu, & in ens potentia: & haec divisio est quasi media inter aequivocum & univocum; & talis divisio est peccati in mortale, & veniale: quia ratio peccati perfecte in mortali invenitur; in veniali vero non nisi imperfecte, & secundum quid: unde minimum quod potest esse de ratione peccati in aliquo actu, est in veniali, sicut minimum quod potest esse de natura entis, est in ente in potentia, & in ente per accidens: & hoc ipsa nomina ostendunt: quia venia non debetur peccato, nisi secundum quod aliquam (1) imperfectionem peccati habet; mors autem debetur peccato in quantum peccatum est: & ideo mortale peccatum perfectum quid in genere peccati dicit, veniale autem imperfectum.

Ad primum ergo dicendum, quod mortale, & veniale non conveniunt in peccato sicut in genere univoco de eis praedicato, sed sicut in eo quod eis per analogiam commune est.

Ad secundum dicendum, quod (2) venia debetur alicui dupliciter: vel sicut ei quod indulgetur, vel sicut ei quod est indulgentiae ratio. Sicut ei quod indulgetur, non debetur alicui nisi peccato: quia nihil indulgetur, nisi quod poenam meretur. Sicut ei quod est indulgentiae ratio, numquam venia peccato debetur, sed vel infirmitati, vel alicui quod facit imperfectionem in genere peccati. Peccatum autem veniale non dicitur veniale sicut remissionis ratio, sed sicut id quod facile remittitur propter imperfectionem peccati: unde per hoc quod dicitur veniale, non tollitur tota ratio peccati; sicut per hoc quod dicitur mortuum, tollitur tota ratio hominis. Unde non sequitur quod veniale peccatum non sit peccatum, sed est imperfectum quid in genere peccati.

Ad tertium dicendum, quod oppositio venialis, & mortalis est secundum perfectum, & imperfectum: unde non omnino excludunt se, sed unum est dispositio ad aliud. Vel dicendum, quod opposita inesse eidem non secundum idem non est inconveniens: & ideo cum peccatum veniale, & mortale non sint in homine secundum eundem actum, sed secundum diversos (qui etiam simul non sunt) non oportet quod tollatur oppositio venialis, & mortalis.

Ad quartum dicendum, quod peccatum quod completam rationem culpae habet directe gratiae opponitur; peccatum vero veniale, quod imperfectam rationem culpae habet, non opponitur gratiae nisi indirecte, ut scilicet est dispositio quaedam ad mortale. Quae autem sic sunt opposita, non est inconveniens esse simul, sicut siccitas, quae dispositio est ad calorem, est simul cum frigore: unde non est inconveniens quod veniale sit culpa, & simul cum gratia.

Ad quintum dicendum, quod averti a fine incommutabili, est dupliciter: vel in habitu, vel in actu tantum. Secundum habitum avertitur qui sibi alium finem contrarium ponit; & hoc est in peccato mortali: unde qui peccat mortaliter, est sicut recedens a via. In actu vero tantum aliquis avertitur, quando aliquis actum aliquem facit quo in Deum non tendit ex eo quod inordinate ei quod est ad finem inhæret; non

non tamen ita ut illud quod est ad finem quasi finem constituat; & hoc est in peccato veniali: unde peccans venialiter similatur ei qui nimis moratur in via: & hoc non est averti nisi secundum quid, sicut etiam quod retardat motum corporis gravis, non auferat gravitatem suam, & inclinationem in finem; auferret autem, si contrarium sibi motum daret, ut quando ex gravi leve generatur.

ARTICULUS IV.

Utrum peccatum veniale distinguatur a mortali.

1. 2. q. LXXXVIII. a. 2. & de malo q. 11. art. 8.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod veniale peccatum a mortali non distinguatur. Quidquid enim tollit virtutem est mortale peccatum. Sed omne peccatum tollit virtutem: quia omne peccatum recessus ab aequalitate est; virtus autem aequalitas quaedam est. Ergo peccatum veniale a mortali non distinguitur.

2. Praeterea. Ea quae per se distinguuntur, non transmutantur invicem. Sed veniale, & mortale invicem transmutantur: quia nihil adeo est veniale quod non fiat mortale dum placet; (1) similiter omnis culpa mortalis per confessionem fit venialis, ut Ambrosius dicit, (in apolog. David circa fin.) Ergo veniale, & mortale non distinguuntur nisi per accidens.

3. Si dicatur, quod peccatum mortale distinguitur a veniali, quia mortale est contra praecipuum, veniale praeter praecipuum; contra. In hoc differunt praecipua legis disciplinae (2) a praecipuis legis naturalis, quod praecipua legis disciplinae prohibent ea quae non sunt mala, nisi quia prohibita; praecipua vero legis naturalis prohibent ea quae sunt prohibita, quia mala. Ergo in his quae lege naturali prohibentur, distinctio mali non sumitur ex prohibitione legis, sed potius ex ipsa natura actus.

4. Praeterea. Praeter affirmationem nihil est nisi negatio, & praeter negationem nihil est nisi affirmatio; cum inter affirmationem & negationem nihil sit medium. Sed qui non facit quod praecipuum affirmativum praecipitur, contra praecipuum committit: similiter qui facit quod praecipuum negativum prohibetur, contra praecipuum facit. Ergo quicumque peccat praeter praecipuum, peccat contra praecipuum; & ita distinctio nulla est.

5. Si dicatur, quod differunt mortale, & veniale ex hoc quod veniale est exitus a medio virtutis, tamen prope medium; mortale autem exitus longinquus a medio, sicut dicit Philosophus in II. Ethicor. cap. 11. Graeco-lat. quod qui parum secedit a medio, non vituperatur: contra. Quia, sicut ibidem dicitur, non est determinatum apud nos, quando multum, & quando parum a medio recedatur. Si ergo non differat veniale a mortali, nisi secundum parvum, & magnum recessum, non posset apud nos determinari quod esset peccatum mortale, & quod veniale: quod esset valde periculosum.

Sed contra. Diversitas poenarum respondet diversitati culpae. Sed poena temporalis differt ab aeterna. Ergo & peccatum veniale differt a mortali; cum uni

In II. Sent. Tom. II.

(1) Addit Nicolai (ut Augustinus dicit.) (2) Seu legis scriptae, ut notat Nicolai.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Ex Eth. Lib. V. cap. x. Graeco-lat. colligitur, vel in antiquis cap. xiii. & apud S. Thomam lect. xiii. ubi dicitur, quod cum laesio praeter rationem accidit, infortunium dici debet; cum autem non praeter rationem, sed sine malitia tantum accidit (aneu cacias) peccatum est; etsi non propterea pravi homines habentur, quia ex pravitate non contingit.

debeatur poena temporalis, alteri aeterna. Praeterea. In quolibet genere perfectum, & imperfectum habent determinatam distinctionem. Sed veniale, & mortale differunt ut perfectum, & imperfectum in genere peccati, ut ex praedictis patet. Ergo oportet quod habeant determinatam distinctionem ad invicem.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, ut ex dictis patet, veniale peccatum dicitur cuius reatus facile solvitur & ideo veniale tripliciter dicitur. Uno modo dicitur veniale ex causa; quod quidem facile remissibile est, quia causa peccati quaedam rationem veniae habet, sicut ea quae per ignorantiam, & infirmitatem peccantur. Secundo dicitur veniale ab eventu; quia scilicet per aliquid peccato superveniens, efficitur poena ejus cito solubilis, sicut confessio adveniens peccato mortali, facit poenam ejus proportionatam viribus poenitentis virtute clavium. Tertio dicitur veniale, quando ipse actus per se facile remissibilis est, eo quod non perfecte pertingit ad plenam rationem peccati: & istud proprie dicitur veniale de quo nunc agitur, quod a mortali distinguitur. Primo enim, & secundo modo dictum veniale non distinguitur a mortali: quia mortale potest per ignorantiam fieri; & illud quod est mortale, fit veniale per confessionem. Imperfectio autem peccati potest esse dupliciter: vel ex genere actus, vel ex parte peccantis. Genus autem ipsius actus sumitur ex materia, & objecto: unde sicut dicitur bonum ex genere propter debitam materiam, ita malum ex genere propter indebitam; & est veniale ex genere propter materiam in qua peccatur. In illa autem materia peccatum perfecte invenitur, in qua si peccatur, virtus charitatis ad Deum; & ad proximum dissolvitur, per quam vita est animae: & ideo quando aliquis peccat in his, sine quibus recte servatis, non remanet subjectio hominis ad Deum, & foedus humanae societatis, tunc est peccatum mortale ex genere (& talia peccata Philosophus (a) malitias appellat: unde vult quod omnis vitiosus sit malus) sicut patet quod non potest homo debite Deo esse subjectus, si Deo non credat, si ei non obediat, & huiusmodi. Similiter etiam societas humanae vitae servari non posset, nisi unicuique servaretur quod suum est: & ideo furum, & aliarum species iniustitiae sunt peccata mortalia ex genere: & similiter est in omnibus aliis. Ea vero sine quibus societas humana servari potest, non faciunt peccatum esse mortale ex genere, quamvis etiam deformis actus sit, sicut superfluous ludus, & aliquid huiusmodi: & talia dicuntur venialia ex genere. Sed sicut quod est bonum ex genere, potest fieri male, & non est converso; ita quod est veniale ex genere, tali modo potest fieri quod erit mortale, ut si credatur esse mortale quod veniale est, & si tantum quis in re temporali delectatur ut finem sibi in ea construat: quia sic non servatur debita reverentia ad Deum, qui est ultimus finis, & circa quem omnia sunt diligenda. Ex parte vero peccantis est imperfectio peccati propter imperfectionem potentiae elicentis actum; sicut primi motus sensualitatis, qui deliberationem praecedunt, peccata venialia sunt, quam-

vis in materia sint mortalis peccati. Sed hæc sunt venialia per accidens; & ideo adveniente consensu rationis deliberata, efficiuntur mortalia.

Ad primum ergo dicendum, quod veniale non corrumpit virtutem quantum ad habitum (hoc enim mortalis est proprium) sed exit ab æqualitate quam ratio ponit in actu virtutis.

Ad secundum patet solutio per ea quæ dicta sunt: quia procedit de veniali ex eventu: & iterum quod veniale fiat mortale non est inconveniens, sicut etiam quod est bonum ex genere, potest male fieri.

Ad tertium dicendum, quod præcepta legis intendunt hominem ordinare ad dilectionem proximi, & Dei: quia finis præcepti est charitas, I. Timoth. 1. & ideo illa sola mortalia sunt ex genere de quibus dictum est: hæc enim directe fiunt contra præcepta legis, non solum legis scriptæ, sed etiam naturalis. Quamvis autem aliquid non sit malum, quia est prohibitum lege exteriori, tamen ideo est malum, quia prohibetur lege interiori: lex enim interior est ipsum lumen rationis, quo agenda discernimus: & quidquid in humanis actibus huic lumini est consonum, totum est rectum; quod contra hoc lumen est, homini est innaturale, & malum; & pro tanto malum dicitur, quia prohibetur interiori lege.

Ad quartum dicendum, quod affirmatio opposita præcepto negativo est & præter præceptum, & contra præceptum: similiter & negatio opposita affirmativo: sed quædam negationes, & affirmationes sunt non oppositæ directe ipsis præceptis affirmativis, & negativis, sed indirecte, quia disponunt ad ea quæ directe opponuntur: & ideo huiusmodi sunt præter præceptum: hæc enim etiam hoc modo non discordant à lumine rationis ut ab ultimo fine abducentia, sed ut quædam impedimenta finis.

Ad quintum dicendum, quod hoc modo esse proximum medio, vel remotum, ut dictum est, facit peccatum mortale, & veniale, & non sicut objectio tangit; ut sit differentia secundum hoc quod est abduci à fine virtutis, & non abduci; & non solum secundum intensionem, & remissionem circumstantiarum, ut objectio procedit.

ARTICULUS V.

Utrum peccatum mortale, & veniale differant per penam æternam, & temporalem.

1. 2. quest. LXXII. art. 5. & quest. LXXXVII. art. 2. & III. P. quest. LXXXVI. art. 4. & de malo quest. VII. art. 1. & opusc. 3. cap. CLXXXVIII. & Rom. 11. lect. 1.

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur quod peccatum mortale, & veniale non differant per æternam penam, & temporalem. Quæcumque enim finita sunt, possunt habere aliquam proportionem ad invicem. Sed conversio quæ est in peccato veniali, finita est, & similiter quæ est in peccato mortali. Ergo proportionabiles sunt. Sed secundum mensuram delectationis, quæ ex parte conversionis se tenet, est quantitas pænæ: Apoc. XVIII. 7. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & lucrum.* Ergo & pænæ venialis debet proportionari pænæ mortalis; & ita non differunt secundum æternam, & temporalem.

2. Præterea. Secundum quantitatem culpæ est

(1) Al. Forte quos. (2) veniens imbaptizatus. Nicolai: veniens non sit baptizatus.

quantitas pænæ. Sed ille qui peccat mortaliter, non peccat infinito tempore, quamvis in infinitum bonum peccet. Ergo etiam non debet puniri æterna pænâ, sed damno infiniti boni ad tempus.

3. Si dicatur, quod punitur æternaliter, quia peccavit in suo æterno; contra: quia multi sunt qui non toto tempore vitæ suæ in peccati actu perdurant; sed dum peccant, cogitant se quandoque à peccati actu recessuros. Ergo talis secundum hoc in suo æterno non peccavit; & ita non debet puniri æterna pænâ.

4. Præterea. Nullus iudex, nisi sit crudelis, infligit penam quasi delectatus in pænâ, sed propter emendationem. Si igitur Deus est piissimus iudex, non infligit penam pro peccato mortali, nisi propter emendationem eorum (1) quæ punit; & ita videtur quod non in æternum puniat.

5. Sed contra. Videtur quod etiam veniali debeat pænâ æterna. Quia contingit quod aliquis toto tempore vitæ suæ in peccato veniali perduret. Si igitur aliquis punitur æternaliter, ut dicit Gregorius Dial. Lib. IV. cap. XLIV. quia in suo æterno peccavit, videtur quod talis æternaliter puniri debeat.

6. Præterea. Ponatur quod aliquis moriatur in peccato mortali, & veniali: constat quod iste statim ut moritur, ad infernum descendit. Cum ergo veniale non remaneat impunitum, ibi punitur non tantum pro mortali, sed etiam pro veniali. Sed pænâ inferni est æterna: quia in inferno nulla est redemptio. Ergo peccatum veniale æterna pænâ punitur.

7. Præterea. Sit ita quod aliquis ad perfectam ætatem (2) veniat imbaptizatus, in qua jam peccati pænâ reus teneri potest, & in primo instanti illius temporis venialiter peccet, & moriatur: constat quod ille pro peccato veniali punitur. Non autem in limbo puerorum, quia pænâ sensibilis, quæ veniali debetur, non est ibi, nec etiam in purgatorio, quia gratiam non habet, sine qua nulla purgatio peccati esse potest. Ergo punietur in inferno pro veniali, & ita veniale ad mortem æternam obligat, sicut & mortale.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ratio quare mortale peccatum ad æternam penam obligat, potest sumi ex tribus. Primo ex parte ejus in quem peccatur, qui est infinite magnus, scilicet Deus, unde & offensæ illius infinita pænâ digna est: quia quanto est dignior in quem peccatur, tanto peccatum magis puniatur. Secundo ex voluntate peccantis. Constat enim quod peccans mortaliter, finem delectationis suæ in eo in quo mortaliter peccat, ponit, ut etiam Deum pro illo contemnat. Constat autem quod quicumque summe diligit aliquid sicut finem suæ voluntatis, ex hoc ipso vellet semper sibi adherere: & ideo peccans mortaliter illo actu voluntatis quo peccatum mortale eligit, eligit peccato semper adherere, nisi per accidens retrahatur vel timore pænæ, vel aliquo huiusmodi; sed si infinite adherere posset, semper adhereret: & ideo in suo æterno peccat, & propter hoc æterna pænâ est dignus. Tertio ex ipso statu peccantis mortaliter, qui per peccatum gratia privatur: unde cum sine gratia non possit fieri remissio culpæ, si in peccato mortali moriatur, semper in culpa remanebit, cum ulterius non sit gratiæ susceptibilis. Manente autem culpa, semper est obnoxius pænæ; alias remaneret aliquid inordinatum in universo: & ideo

EXPOSITIO PRIMÆ PARTIS TEXTUS.

Quidam dicunt unum esse peccatum, alii vero dicunt diversa esse peccata. Utraque opinio est vera aliquo modo intellecta: quia si accipiat voluntas conjuncta actui, sic voluntas, & actus exterior sunt unum peccatum; si autem sumatur voluntas separata ab actu, sic sunt duo peccata numero, sed unum specie.

Ad quod illi etiam dicunt. Præter istam responsionem, quæ hic ponitur, potest esse alia, quæ in primo articulo posita est.

Præterea solet queri, cum ab aliquo perpetrato voluntate peccato voluntas id agendi, & actio transierit... utrum illud peccatum, usquequo pœnitent, sit in eo. Cum in peccato non solum sit actus, & reatus, sed etiam macula, videtur insufficienter procedere, cum de macula mentionem non faciat. Sed dicendum, quod macula est medium inter actum peccati & reatum, quasi effectus actus, & fundamentum reatus: & ideo per extrema medium intelligitur.

Nec unquam est in aliquo peccatum actu, præter originale, quin sit etiam reatu. Ratio hujus est, quia actus peccati inordinatus causat maculam, & reatum. Posita autem causa, non potest effectus non esse: & ideo impossibile est ut simul dum actus peccati manet, reatus transeat. Sed quomodo hoc in originali esse possit, supra dictum est.

Duo enim sunt peccatorum genera. Hoc dicitur ad ostendendum quod divisio peccati in mortale, & veniale, non est univoci divisio: quia sic mortale, & veniale dicerentur duæ species peccatorum: sed est divisio analogi, & propter hoc dicuntur mortale, & veniale esse genera peccatorum, quasi non communicantia unum genus.

DIVISIO SECUNDÆ PARTIS TEXTUS.

Modi autem peccatorum varias in Scriptura distinctiones habens. In parte præcedenti determinavit Magister quædam quæ requiruntur ad peccatum, quasi partes integrantes ipsum, hic determinat diversas peccatorum divisiones: & dividitur in partes duas. In prima prosequitur divisionem peccatorum capitalium, ibi: *Præterea sciendum est, septem esse vitia capitalia.* Prima dividitur in duas. In prima ponit quasdam distinctiones peccatorum, quæ sumuntur ex parte rei; in secunda ponit (1) quamdam quæ sumitur ex parte nominis, ibi: *Variam quoque appellationem habet.* Circa primum tria facit. Primo distinguit modos peccatorum penes motiva, sive radices; secundo penes actus, in quibus peccatum consistit, ibi: *Alii vero dicunt, peccatum fieri tribus modis; tertio penes objecta, ibi: Dicitur quoque homo peccare in Deum, in se, & in proximum.*

Præterea sciendum est, septem esse vitia capitalia. Hic ponit distinctionem capitalium vitiorum: & dividitur in duas. In prima enumerat capitalia vitia; in secunda reducit ea in unum principium, ibi: *Ex superbia tamen omnia mala oriuntur.* Et circa hoc tria facit. Primo ostendit superbiæ esse originem capitalium vitiorum; secundo objicit in contrarium, ibi: *Huic autem videtur obviare quod Apostolus ait; tertio solvit, ibi: Sed utrumque recte dictum est.* Circa primum duo facit. Primo ostendit superbiæ esse principium omnium peccatorum; secundo assignat superbiæ species, ibi: *Hujus quatuor sunt species.*

QUÆS-

deo talis in æternum punietur. Peccatum vero veniale neque contra Deum est, neque in eo finis constituitur, neque gratia privat: & ideo non debetur sibi pænâ æterna, sed tantum temporalis.

Ad primum ergo dicendum, quod conversio mortalis, & venialis peccati non sunt proportionabiles; quia per unam adheretur rei temporali ut fini, per aliam ut ei quod est ad finem: & hæc duo non sunt proportionabilia, quia non sunt ejusdem generis: proportio enim est commensuratio quantitatum ejusdem generis, ut dicitur in V. Euclidis, diffinit. 111.

Ad secundum dicendum, quod ex hoc quod contra infinitum peccat, debetur sibi pænâ infinita. Non autem potest esse infinita acerbitate, quia in creatura finita non potest esse qualitas infinita; sed recompensatur per durationem infinitam, quia creatura rationalis durationis in infinitum capax est: & quia actualiter peccavit, debetur sibi non solum pænâ damni, sed etiam pænâ sensus.

Ad tertium dicendum, quod non dicitur in suo æterno peccasse, quia semper in actu peccati permanserit; sed quia in uno actu voluntatis adhæsit peccato tali modo ut ei in æternum adhereret, si impune posset. Vel dicendum, quod dicitur in suo æterno peccasse qui mortaliter peccavit, quia privavit se gratia per peccatum mortale, sine qua homo non potest à peccato liberari: & ideo impotentem se reddit ad resurgendum: unde quantum in ipso fuit, se obligavit ut in peccato in æternum permaneret.

Ad quartum dicendum, quod Deus non infligit penam æternam, quasi in pænâ propter pænâ delectatus; sed quia delectatur in ordine justitiæ suæ, cujus pulchritudo apparet in perpetua pænâ perpetuæ culpæ.

Ad quintum dicendum, quod peccans venialiter non peccat in suo æterno, quia neque adheret peccato veniali ut fini, quia jam esset mortale, neque etiam impotentem se reddit ad resurgendum: & ideo non debetur sibi pænâ æterna; quamvis fortasse toto tempore vitæ suæ in veniali permaneat.

Ad sextum dicendum, quod ille qui decedit cum mortali, & veniali simul, punitur in æternum, longe tamen minus acerba pænâ quam illa quæ est pro mortali. Hoc autem accidit veniali, in quantum mortali conjunctum est, quod gratia privat, sine qua nulla pænâ potest esse purgativa, & expiativa.

Ad septimum dicendum, quod positio illa est impossibilis: quod sic patet. Si enim aliquid est sufficiens ad excusandum peccatum majus, multo amplius sufficit ad excusandum minus. Sed imperfectio ætatis excusat peccatum mortale, (3) ut puer nondum usum liberi arbitrii habens peccati mortalis reus non habeatur, etiam si actum faciat qui ex genere peccatum mortale sit: unde multo amplius excusat infantia ne peccatum veniale imputetur: & ideo non potest esse quod homo venialiter peccet ante illud tempus quo usum rationis habet, ut jam mortaliter peccare possit. Statim autem ut ad tempus illud pervenit, vel gratiam habet, vel in peccato mortali est: quia si facit quod in se est, Deus ei gratiam infundit; si autem non facit, peccat mortaliter: quia tunc est tempus ut de salute sua cogitet, & ei operam det: & ideo positio est impossibilis. Si tamen ponatur per impossibile, tunc talis punietur pænâ sensibili in inferno, & pænâ illa erit æterna. Sed hoc accidit veniali, in quantum est sine gratia.

(3) Nicolai: ut qui nondum usum liberi arbitrii habet, peccati &c. (1) Idem: quasdam quæ sumuntur.